GOMES (J. E.)

Dissertatio Medica inaugurali
de Hepatitide. 1814

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS EUSTAQUIUS GOMES,

LUSITANUS.

Die viii. ante Kalendas Julias, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1814.

JOANNI,

AUGUSTISSIMO, CELCISSIMO, PIISSIMO,

PORTUGALIAE ET BRASILIAE PRINCIPI,

TOTIUS IMPERII GUBERNACULUM,

PATRIAE JUS DILECTISSIMAE AUSPICATIUS MODERANTI,

LITERARUM FAUTORI EXIMIO,

OB CURAM PATERNAM, ET PLURIMA BENEFICIA IN EUM

BENIGNE COLLATA,

HOC TENTAMEN INAUGURALE,

(UTINAM TALI PATRONO DIGNIOR ESSET!)

CUM REVERENTIA SUMMA,

GRATIQUE ANIMI DEVOTIONE,

SUBMISSE

DEDICAT, OFFERT, CONSECRATQUE

JOSEPHUS EUSTAQUIUS GOMES,

SUAE REGIAE CELSITUDINIS JUSSU, IN BRITANNIAM AD LITERAS

MEDICAS ET CHIRURGICAS DISCENDAS MISSUS, IBIQUE

STIPENDIO REGIO TOLERATUS.

To Dr. Turnbull with the author's Complts

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

PROŒMIUM.

Qui in regionibus calidis degunt, morbis ex *hepatis* vitio ortum trahentibus praeprimis obnoxii sunt. Hujus visceris inflammatio, et mala inde nata, utriusque Indiae incolas, Europæos potissimum ibi transvectos, saepissime corripiunt, et graviter affligunt.

Ex quo cives Lusitaniae, nefando bello profligati, jugum alienigenum ferre indignarunt, et

sub Principe Pio, Perillustri, nunquam non venerando, novas sedes apud Americam Australem quaesivere, hic morbus apud *Brasil* late percrebuit. In urbe *Rio de Janeiro*, annis 1809 et 1810, plurima mortuorum cadavera iis, qui anatomicis praelectionibus interfuerunt, oblata mihi vidisse contigit, quos diarrhoea vel dysenteria abstulerat. Re autem altius perspecta, morbi origo ex *hepatis* vitio plane erat repetenda.

Medicinam itaque in ista terrae plaga facturus, hoc propositum ulterius prosequi e re mea fore crediderim; scribere enim cogunt leges almae hujus Academiae, qui more solenni cuivis doctoratus gradum ambienti, aliquid de medicina edere praescribunt.

In hoc opusculo quaedam de utroque *hepatitidis* genere, acuto, scilicet et chronico, proferre consilium est.

Hepatitis ad classem *Pyrexiae*, et ordinem *Phlegmasiae* CULLENI pertinet. Characteres generici sunt: "Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, saepe pungens pleuritici instar, saepius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnoea; tussis sicca; vomitus; singultus."

DE SIGNIS HEPATITIDIS ACUTAE.

RIGORES, frigoris sensus, languor, et anxietas, saepe admodum leves, acutam *hepatis* inflammationem vulgo praegrediuntur. His calor auctus, et arteriarum pulsus frequentes, validi, et duri, brevi superveniunt. Aeger, hujusmodi signis aliquamdiu vexatus, propria *hepatitidis* indicia tandem conqueritur, dolorem, nempe, in hypochondrio dextro, nunc obtusum, nunc acutum,

qui, ad claviculam et summum humeri usque excurrens, nonnunquam totum latus dextrum, brachium, et etiam digitos, occupat.

In quibusdam exemplis, gravis spirandi difficultas, tussis, fere sicca, summa inquietudo, vigilia, delirium, singultus, et dolor ardens, quem aeger ad pectus referre solet, accedunt. Haec signa, superiorem et convexam *hepatis* partem inflammatione esse tentatam, suadent; et tumor, dextrorsum spectans, subinde manifestus est.

In aliis exemplis, ubi pars *jecoris* concava, ventriculo et intestinis proxima, morbo prehensa fuerit, aeger nausea et vomitu corripitur; et nonnunquam ventriculi munera adeo turbantur, ut assiduus materiae biliosae vomitus aegrum vehementer exerceat, qui, posituram erectam tenere haud amplius valens, incurvatam eligit, et quidem solam sustinere potest.

Dolor hypochondrii dextri, pressura, vel motu, saepe augetur; et aeger, hoc morbo laborans decubitum in latus sinistrum aegre fert. Febris modo gravior, modo levior urget; cutis arida est, et paucis elapsis diebus quadam flavedine imbui videtur, quae in tunica adnata oculorum semet primum prodere solet. Os et fauces arent; lingua albida est, et materia flava saepe obducta; sitis intensa; ciborum appetentia imminuta; urina parca, biliosa et crassa, sedimentum large deponens. Alvum ab initio compressam morbi progressu, et finem versus diarrhoea haud raro excipit.

Monendum est *hepatitidis* acutae indicia, in regionibus calidis, saepe adeo obscura existere, ut etiam medicos longo rerum usu peritos interdum fallant; in multis enim exemplis, doloris quidam sensus ex hypochondrio presso, alvi fluxus, et tussis sicca, sola sunt indicia, quae *hepatis* vitium subesse fidem faciunt.

DE HEPATITIDIS CHRONICAE SIGNIS.

Chronica *hepatis* inflammatio languore, moerore, corporis macie, et virium lapsu plerumque ab initio, stipatur. Solitus secundae valetudinis nitor vultum deserit, qui ex flavo pallescens et collapsus squalore, aegre verbis definiendo imprimitur. In quibusdam casibus cibi appetentia penitus deleta est ; in aliis vorax edendi desiderium aegrum fatigat, qui, post pastum delassatus, et animo depressus, de dolore et acore ventriculi conqueritur, qui, flatu erumpente, non nihil levantur. Accedunt, porro, nausea, vomitus, dolor capitis, alvus adstricta, et alia bene multa dyspepsiae signa.

Aegro hujusmodi molestiis diu obsesso, vera *hepatitidis* indicia adeo insidiose obrepunt, ut ejus notitiam penitus effugiant ; morbus interea

tacite serpens immedicabile vitium *hepati* intulit, antequam medici vel semel suspicati sunt naturam morbi, quo detinetur.

Alia autem, etsi obscura morbi latentis indicia, nonnunquam observantur; aeger enim dolorem in hypochondrio dextro ad humerum tendente subinde percipit, cum spiritu impedito. Dolor saepe adeo obtusus est, ut potius ponderis sensus dici meretur. Moles *hepatis* adaucta, et insolita hujus visceris durities, saepe tactu explorantur; et dolores exercitatione, praecipue post prandium plenum, pressura, vel decubitu in latus sinistrum, acerbiores fiunt.

Cutis arescit, et tandem flavedinem satis manifestam ostendit. Oculi subflavi, lugubres, languent, hebescuntque. Sternutandi potestatem interdum amittit aeger, etsi errhina acriora naribus admoveantur. Gingivae pallidae ita indurescunt, ut hydrargyri ingenti copia adhibiti vim impune sustineant: lingua media par-

te saepe sordida fit et fusca. Noctu miser plerumque vigilat: tussi sicca, doloribus in pectore errantibus, vel singultu, vel delirio cruciatur. Tumor labiorum, apicum aurium et digitorum, cum affectionibus oculorum, vel tonsillarum, alternans et conjunctus, subinde conspicitur. Vires cito pede labuntur; et ictus arteriarum inter principia naturales, progrediente morbo interdum intermittentes evadunt; quod forsan vel e scirrho jecoris sanguinis iter per arteriam hepaticam impediente, vel ex eo in ramulis venae portarum congesto, vel demum e remora bilis in ductibus hepaticis, pendeat. Hujusmodi signa bilem parcius justo secretam, et alvum tardiorem sibi comites ut plurimum adjungunt. Faeces lutum colore referunt; sed solutae bile varii coloris mistae tandem fiunt. Urina rubra sedimentum copiose deponit.

TERMINATIONES MORBI.

Hepatitis in Resolutionem, Suppurationem, Gangraenam, et Scirrhum, abeat.

Resolutionis, hujus morbi finis plane felicissimi, quaedam evacuatio satis notabilis fere semper comes est. Hinc sanguis e naribus, maximè dextris, vel e vasis haemorrhoidalibus sponte erumpens, sudores copiosi, bilis in intestina uberior excretio, diarrhoeam inferens, vel urina, sedimentum largè deponens, *hepatitidem* saepe feliciter solvunt. Nec desunt exempla, in quibus sputa, e pulmonibus prodeuntia, hujus inflammationis resolutionem comitata sunt.

Cum hujusmodi evacuationes salutarem morbo crisin sunt allaturae, omnia ejus symptomata paulatim recedunt; febris remittit, vultus et

oculi nitorem sanitati congruum recuperant, et aegri cibos bene appetunt, et assumptos sine molestia concoquunt. Morbo autem in *suppurationem* abeunte, dolores minuuntur, et pulsatio quaedam, et ponderis sensus, in hypochondrio dextro, percipi possunt. In nonnullis exemplis tumoris fluctuatio etiam manu, ad mali sedem admota, explorari queat. Nunc horrores, et rigores, et motus febriles, die jam inclinata, maxime ingravescentes, aegrum assidue vexant. Tandem sudores nocturni, et alia febris *hecticae* indicia, in conspectum veniunt; quibus alvi fluxus accedens, tenues virium reliquias brevi penitus exhaurit.

Si pars *hepatis* convexa inflammatione tentata peritonaeo, qua abdominis parietes obducit, accreverit, pus, abscessu rupto, foras exire queat. Ut primum, itaque, tumor extrorsum prominens ad hunc exitum planè vergat, in eum ferro statim incidere plurimum interest; abscessus aliter, ex interiore parte cedens, suam

materiam in abdominis cavam, pessimo cum eventu, effundat.

Quod si pus, septo transverso eroso, viam sibi in thoracem aperiat, magnopere metuendum est ne, in pulmones irruens, aegrum statim suffocet; vel saltem, tussiendo lentius eductum, eum tabe tandem consumat.

Quando inflammatio in concava superficie *hepatis*, intestinis proxima, sedem fixerit, ventriculo, duodeno, colo, vel hisce omnibus simul adhaerescat, qua pus in has partes erumpat. Hoc autem processu intestina ipsa in *gangraenam* mortiferam saepe abeunt. Quod si eventus ita infelix haud evenerit, et aeger e morbo demum revalescat, adhaesiones inter *hepar* et partes vicinas per reliquam vitam duraturae persaepe impediunt, quo minus aeger in latus sinistrum decumbat, vel eum molestis doloribus exercent.

Si pus in *hepatis* ductuum vicinio collectum fuerit, per eos in intestinorum tractum delabi potest, qua via tutius forsan expellitur.

Hujus visceris inflammatio raro admodum in *gangraenam* ruere videtur: nonnulla tamen proferuntur exempla, quae gangraenae obrepentis indicia prae se tulerunt. Doctor SAUNDERS affirmat se quosdam vidisse casus, ubi dolores subitò remittentes, partes extremae frigidae, ingens virium prostratio, animi defectus, et mors brevi subsecutura, talem exitum obtinuisse fortiter suadebant *.

Cum haec inflammatio, licet non penitus sublata, remediis antiphlogisticis ita retusa est, ut ab suppurando arceatur, periculum est, ne pars laesa in duritiem *scirrhosam* abeat, quae inflammationi acutae nonnunquam supervenit; in mul-

* Vide Treatise on the structure, economy, and diseases of the liver, p. 271.

tis vero casibus *jecur* molem adauctam, et scirrhosam, adeptum est, sine ullis inflammationis notis praegredientibus. Haec enim mala provenire e chronico *hepatis* morbo, adeo miti, ut nunquam signis manifestis semet prodat, probabilissimum est.

RATIO SYMPTOMATUM.

Hypochondrii dextri tensio et dolor.—Haec signa morbo acuto, aeque ac chronico, communia existunt. In utrisque enim sanguis justo uberius in partem affectam derivatur; utrum sensibilitas et contractilitas auctae, sanguinem majori copia versus sedem inflammationis alliciant; vel vis vitalis deficiens sanguinem ibi remoretur. In utrisque vasa sanguinem vehentia praeter naturae ordinem distenta, vel etiam rupta, dolorem necessario inferunt.

Dolor ad claviculam, et *summum humeri dextri.* —De hoc *hepatitidis* signo alii auctores aliter sentiunt. Sunt qui inflammationem ad summum humeri usque esse porrectam opinantur; aliis persuasum est, septum transversum, insolito *hepatis* inflammati pondere, deorsum trahi, et nervum phrenicum inde quodammodo comprimi; dum alii credunt, nervum phrenicum e dextro latere, ob inflammationem in propinquo viscere affectum, sensationem acerbam ad plexum axillarem, et eos nervos qui cum illo invicem connectunt, ab extremis ramificationibus usque ad ortum suum, pertingere. Ex his autem, et hujusmodi commentis, nullam probabilem conjecturam, de hac re hactenus esse prolatam, satis patebit.

Decubitus in latus sinistrum difficilis.—Hepar pondere adauctum, et sensu acutiore praeditum, omnis motus valde impatiens evadit. Ad hoc quoque accedit, quod ligamenta, inflammatione

forsan correpta, in hac corporis positura, molestissime tenduntur.

Tussis, spirandi difficultas, et singultus.—Haec symptomata maxime urgent cum convexa *hepatis* pars, inflammatione laborans, septum transversum sibi annexum, et etiam pulmones ipsos, in morbi consensum trahit. Inflammationem interdum ad has partes revera pertinere, ipsa cadavera secta testantur. In his igitur exemplis, septum transversum ad solita ejus munera rite obeunda haud amplius valet; quae magis adhuc aucta *hepatis* ipsius mole impediuntur; hinc spiritus difficilis plane deducendus est. Irritatio, quae in hoc rerum statu nunquam non adest, cum diaphragmate et pulmonibus communicata, tussim et singultum concitet.

Vomitus ex inflammatione in concava *hepatis* parte oborta, quae ventriculo et duodeno vicina est, repeti queat. Inflammatione praeterea

ad has partes nonnunquam deducta, ad vomitum concitandum conferat.

Vultus et oculi flavi, et alvi status.—Ubi inflammatio in vicinio ductuum sedem fixerit, hi saepe ita opprimuntur, ut bilis, iter in duodenum prosequi non valens, regredi cogitur, et in sanguinem, vel vasis lymphaticis, vel per venam hepaticam regurgitando, resorbetur. Qualecunque autem fuerit iter, flavedo per totum corpus diffunditur, in facie et oculis potissimum observanda. Ex cursu porro bilis in duodenum intercluso, intestinorum munera languent, et faeces albidae et induratae aegre excernuntur.

In plerisque vero exemplis acuta hepatis inflammatio, in regionibus calidis, bilis secretionem adauget. Si itaque nullum existat impedimentum ad liberum ejus decursum in intestina, haec colluvie biliosa opprimuntur, quae universi corporis languorem, linguam sordidam, cibo-

appetentiam deletam, et saepe diarrhoeam valde molestam infert.

In nonnullis casibus sanguinis reditus per venas, *hepate* indurato et scirrhoso impeditus, hydropibus causam praebet.

SECTIO CADAVERUM.

Cadaverum inspectio inter optima artis medicae fundamenta rite ponitur; neglecta enim, scientia mutationum morbidarum, quae in corpore humano eveniunt, multorum morborum medendi ratio empirice tantum institui potest. Hoc imprimis verum est de *hepatitide*, in qua morbi signa in pectore et aliis partibus, potius quam in ipsa hepatis regione, saepe observantur.

Cadavera hoc morbo mortuorum secantibus, *hepar* coloris solito profundioris, magnitudine multum adauctum, et duriusculum, plerumque sese offert. In aliis vero exemplis, moles *hepatis* revera imminuta est, substantia multo firmior et densior, color luteus, et margines multo obtusiores quam in statu sano deprehenduntur.

Cum inflammatio externam *hepatis* superficiem tantum occupaverit; tunica eam investiens crassior solito evadit, et plurimis vasis minutissimis, sanguine rubro refertis, interstinctà est.

Adhaesiones, quibus originem dedit lympha coagulabilis effusa, *hepar* late cum partibus vicinis saepe adnectunt.

Abscessus, qui numero et magnitudine multum variant, saepe reperiuntur; modo unus, sed amplissimus, totam fere hepatis substantiam occupat.

Bontius * exemplum memorat, in quo nulla *jecinoris* ipsius vestigia relicta fuere, hujus autem loco membrana, sacci adinstar, materiae saniosae pauxillum continens, reperta est; modo plures minores, hic illuc sparsi, observantur.

Suppuratio interdum late per septum transversum diffusa in thoracis cavum et pulmones penetravit; nonnunquam humorem adeo virulentum effundens, ut omnes partes corruisset. "I have known instances," inquit Dr Bogue, "where the matter has been so acrid, as not only to corrode, but to dissolve the cartilages at the extremities of the false ribs, and likewise part of those ribs †." Intestina quoque plane erosa, et maculis nigris gangraenosis saepe correpta fuere.

Hic morbus rarissime in gangraenam desinit; Morgagnius ‡ tamen exempla duo re-

* Vide Medic. Indor. in Observ. Select. p. 57.

† Lind on Hot Climates, p. 109.

‡ Epist. 34, Art. 25. et 9.

fert, in quibus altero sinister *jecoris* lobulus inventus erat laxus, et sphacelo prorsus viciatus; altero, *jecur* quoque vitium contraxerat, in margine enim erat nigrum, in cava autem facie cum vesicula, quae mediocris erat, subnigrum; in aliis *hepar* quasi putridum, et instar favi reticulatum, detectum est.

Concreta biliosa in vesicula fellea, et in ductu communi subinde semet nobis offerunt, necnon hydatides in sacco, sibi proprio, inclusi.

CAUSAE.

Haepatitis acuta et chronica omnem terrae regionem invasit. In calidioribus coeli plagis, quam in frigidioribus, multo frequentius grassatur. Nulla aetas, neque sexus, ab ea penitus immunis existit; foeminae vero, et juvenes,

pubertate nondum adhuc adepta, hujus morbi impetum rarissime experiuntur. Homines temperamento sanguineo praediti, laute viventes, et vitae sedentariae additi, prae aliis *hepatitidi* patent.

Inter causas hujus morbi excitantes, vehementes aestivi calores in regionibus tropicis, durus labor, vel longa itinera, sub ardentibus solis radiis metita, et graves animi affectus, praesertim ira, recenseri merentur. Omnes hae causae, *hepatis* munera turbando, et bilis secretionem adaugendo, vim suam nocivam maxime exercent; hinc diarrhoea et inflammationes proveniant.

Inter causas quoque hujus morbi nullae graviores existunt quam liquorum ardentium abusus, et vivendi ratio nimis plena, quae bilis forsan copiam et acrimoniam adaugendo, necnon aliis haud bene intellectis modis, maxime in hepar suas vires pestiferas exercent.

Bene notum est *hepatitidem*, in India Orientali, Europaeos, quam indigenos, multo saepius corripere; hi enim, ab usu carnium religiose abstinentes, diaeta tenui e vegetabilibus omnino confecta utuntur; nec liquoribus spirituosis indulgent. Doctor GREGORY, clarus Medicinae Practicae Professor, in praelectionibus suis narrat, quosdam Anglos, in India Orientali degentes, ex ciborum atque potus intemperantia, in *hepatitidem* incidisse, qui tamen, bello capti, et carcere detenti, nil praeter lac et oryzam pro victu habebant concessum; qua diaeta ex morbo, quo prius conflictati erant, feliciter convaluerunt *.

Transitus e victu parco, vel ipsa inedia, ad diaetam lautam, ductibus biliosis stimulum haud innocuum inferat. Dr GIRDLESTONE † affirmat, " that at the famine at Madras, in October

---

* Audi Praelectiones, anno 1813-14.

† Vide Essay on the Hepatitis of India, p. 26.

1782, several native children were taken by the English to their tables. By their extreme voracity their viscera soon became diseased, their bellies tumefied, and scirrhous indurations were to be felt in all those who had not their diet limited for a considerable time."

Aqua insalubris stagnorum epota hunc morbum gignere a Cleghorn * existimatur; et cibi ac potationis abstinentia summa, praesertim in febrili adversa valetudine, a Boerhaavio et aliis inter causas numerantur.

Hepatitis interdum febribus intermittentibus supervenit, cujus ratio forsan e sanguine, perstante frigoris stadio, uberius in *hepate* congesto, quodam modo deduci queat.

Sunt et aliae causae, quae *hepatitidem*, haud secus ac alias inflammationes, partem stimulan-

* Cleghorn on Minorca, p. 76.

do, pariunt. Hinc frigus intensum corpori calefacto admotum, injuriae in *hepatis* regionem illatae, extranea in ejus ductibus vel substantia inhaerentia, et etiam capitis contusiones, hunc effectum edere possunt.

Quibusdam auctoribus persuasum est, miasmata paludum huic inflammationi originem interdum praebere; et Doctor Chisholm * eam contagio propagari assertit, quam vero sententiam aliorum medicorum experientia minime comprobat.

DIAGNOSIS.

Hepatitidi cum Pneumonia, Gastritide, Rheumatismo, Dyspepsia, Phthisi Pulmonali, et Alvi Fluxu, multa communia sunt.

* Vide Medical Commentaries, vol. ii, p. 358.

Pneumonia et *hepatitis*, dolore pectoris, spiritu difficili, et tussi, se mutuo referunt. Hoc tamen discriminis medicus attentus sedulo advertit, quod in *hepatitide* dolor ad summum humeri usque excurrit, et regione hepatica pressa saepe intenditur; dyspnoea et tussis minus urgent; dum vultus semper quandam flavedinem contrahit: in pneumonia vero facies rubore suffusa est. Tumor insuper *hepatis*, integumentis et musculis abdominis manu comprehensis, infra costas dextri hypochondrii, saepe sentitur. Haec medicum de morbi natura certiorem faciunt; saltem in regionibus calidis, ubi pneumonia raro admodum semet ostendit.

In *gastritide*, dolor ad scrobiculum cordis, et vomitus, *hepatitidem* nonnunquam mentiuntur; deest autem dolor ad summum humeri tendens, et alia quaedam *hepatitidis* signa, dum vires multo magis subito ruunt, et vomitus instantior vexat.

In *rheumatismo*, nulla tussis, neque vomitus adsunt; dolores praeterea majorum artuum ex una parte in aliam saepe fugaces, et musculi, inflammatione saepe rubentes, eum ab hepatitide satis secernunt.

Hepatitidis chronicae indicia cum iis a *dyspepsia* orituris saepe tantam similitudinem prae se ferunt, ut summa medici peritia, ad eos rite discernendos, opus sit. In his tamen morbis, diagnosis attentione eo dignior est, quod medendi rationem valde diversam postulant. Ad diagnosin accurate instituendam, morbi historia et progressus, corporis habitus, et coeli plaga multum conferant. Quod si dolor regione *hepatis*, manu contrectata, augeatur, cutis et adnatae oculorum color ad flavedinem vergat, cum pallore vultus, et demum calor auctus et pulsus incitatus fuerint, nullum de natura morbi dubium superest.

In *phthisi* pulmonali, febris hectica, tussis sicca, cum prostratione virium, ac doloribus in pectore, huc illuc lancinantibus, symptomata *hepatitidi* chronicae similia, aliquando existunt. Stadiis autem provectioribus, hujus signa ab illa manifeste distant. In hac, vultus et membrana adnata oculorum a pallido ad flavum variant colorem; in illa, oculi albescunt, et cutis delicatissima: in hac, lingua est flava, sordida, saepe subfusca; in illa, nitida, humida, praesertim ad margines: tandem expectoratio in *phthisi* purulenta, ac febris accessus regulares, qui in morbo nostro rarissime occurrunt, diagnosin certam constituunt.

In terris aestuosis, *alvi fluxus* socium *hepatitidi* incipienti semet persaepe praebet. Exempla itaque non desunt, ubi neglectis mitibus ejus indiciis, medicus eam pro *diarrhoea*, vel *dysenteria*, interdum existimat; et ideo medicamenta iis propria sine fructu praescribit; dum *hepatis* vitium, oculto passu, ad exitum fatalem

demum labitur. In his tamen exemplis, ad historiam et progressus morbi, medicamentorum effectus, sedulo animum advertere oportet. Si hypochondrio oppresso, et examinato, tumor appareat, et dolor cietur, vix dubium erit quin vitium hujusmodi subsit.

DE PROGNOSI.

Quo medicus ea, quae in morbo eventura sint, quod semper maximi est momenti praevideat, omnia morbi signa huc spectantia sedulo perpendere oportet. Quo melius itaque ad hujus morbi eventum praedicendum valeamus, ad signorum vehementiam, mali durationem et causas, aegri aetatem et vires, coeli regionem, et medicamentorum effectus, attente respicere debemus. Si symptomata ab initio morbi leviora fuere, vel saltem idoneis remediis mitigata,

brevi in resolutionem abire consuevit; quem felicem morbi exitum, solitus decor ori restitutus, omnia corporis munera bene valentia, sanguinis profluvium e naribus vel e vasis haemorrhoidalibus, vel dejectiones biliosae, vel urina sedimentum deponens, vel denique sudores per totum corpus diffusi, denotent. Cum remedia admota, etsi signorum vehementiam imminuerunt, ad morbum tamen penitus depellendum haud valuerunt, signa, quae languidum sanguinis cursum, et vires morbo fractas ostendunt, manifesta erunt: in hoc rerum statu periculum est, ne *acuta* inflammatio ad *chronicam* inclinata, in scirrhum *hepatis*, et tandem in *hydropisim* desinat, qui, nisi ei remediis validissimis prompte oppugnamus, citius aut serius in mortem abiturus est.

Si dolores in regione *hepatis* graviores evaserint, una cum pulsu pleno et frequenti, calore vehementi, rigoribus, siti, alvo adstricta, et sensu quodam pulsatili in parte affecta, timendum

est ne suppuratio jam advenerit, quam revera instare doloris remissio, et accessio febris vespertina, certius adhuc testantur. Si aegri vires vigeant, et abscessus talem situm adeptus sit, ut pus per parietes abdominis foras prodeat, vel adhaesione facta, vel per ductus in intestina descendat, salutis spes non abjicienda est.

Quod si aegri vires, regionibus calidis, habitu corporis depravato, liquorum spirituosorum abusu, aetate provectiore, vel morbo diuturno, multum fractae fuere, de salute fere desperandum est. Ex abscessu subito in abdominis cavum, vel in aliam partem internam erumpente, gravis virium lapsus, sudores frigidi oborti, partes extremae frigidae, et singultus, mortem esse in propinquo docent.

MEDENDI RATIO.

In hac, pariter ac in aliis inflammationibus, medendi ratio, pro signorum gradu, et morbi statu, varianda est. Medicus enim in primo inflammationis gradu arcessitus, ea adhibebit remedia, quae ad resolutionem spectant. Quod si morbus jam ad suppurationem vergat, alia plane via instituenda est. In primo statu regimen antiphlogisticum strenue adhibitum est, praesertim si febris ardens et dolor vehemens morbum ad suppurationem proniorem reddat. Hoc sub capite omnia, quae auctum sanguinis impetum minuunt, completi vellem; huc itaque spectant diaeta tenuis, sanguinis detractio, epispastica, alvum laxantia, et ea quae sudorem movent.

Diaeta,—vi inflammationis perstante, tenuissima esse debet, et concoctu facillima, maxime ex iis confecta, quae neque ventriculum irritant, neque sanguinis cursum incitant; hinc lac et fruges mites, optimum cibi genus praebent. Aeger a vino, et liquoribus ardentibus, caute abstineat; fructuum tamen succi, et potus, tenues et subacidi, tuto et utiliter concedi possunt.

Sanguinis detractio.—Modo vehemens inflammatio urgeat, hac evacuatione nil potentius in salutem cedat. Ad eam itaque cum beneficio confugitur, ubicunque calor auctus, pulsus durus et plenus, et dolores graviores hoc validissimum remedium efflagitant. Sanguinis mittendi copia, pro signorum vehementia, et aegri viribus, mensuranda est: quo citius educitur, eo melius; et vulnus ita amplum, ut plurimus sanguis per id brevi effluat, a FORDYCE * jure

* Vide Fourth Dissertation on Fever, p. 50.

commendatur. In regionibus calidis, ubi summa inest proclivitas ad suppurandum, si symptomata id auxilii genus exposcant, sanguis prudenti admodum manu educendus est. Ista topica sanguinis missio quae fit per hirudines, scarificationes, et cucurbitula cruenta, saepe haud parum juvat in iis exemplis ubi signa mitiora, vel pravus corporis habitus, generalem sanguinis detractionem vetant.

Epispastica in iis casibus, ubi sanguinis detractio optatos effectus haud edidit, merito in auxilium vocantur; parti hepatis dolenti quam proxime sunt admovenda, et ulcus unguenti stimulantis ope diu apertum servandum est.

Alvus a morbi initio catharticis probe soluta, ad hanc inflammationem fugandam haud parum confert. Hoc nomine submurias hydrargyri, una cum jalapa, rheum palmatum usui multum commendata fuere. Doctor JACOBUS CURRY

eximias opii, una cum submuriate hydrargyri conjuncti, virtutes plurimum laudat, et hoc remedio se sanguinis missionem aliter necessariam saepe impune posthabuisse affirmat. Sales medii aqua probe diluti, senna, tamarindorum fructus, eidem proposito egregie inserviunt.

Diaphoretica.—Ea quae excretionem per cutem promovent, hoc morbo laborantibus, subsidium haud aspernendum porrigunt. Hoc consilio tartris antimonii, exigua dosi porrectus, ita ut levem nauseam et cutis madorem concitet, vel pediluvium, diluentibus simul ubertim potis, prae caeteris laudem merentur.

Hydrargyrus.—Cum graviora morbi symptomata, febris scilicet et dolores, idoneis remediis imminuta fuere, hydrargyrus summo cum fructu adhibetur. Hoc egregium sane medicamentum, in regionibus calidis, in hepatitide acuta,

pariter ac chronica, mirandos edidit fructus *. Cum hic morbus tam celeriter in suppurationem properet, nonnulli medici ad hydrargyrum protinus ab ejus principio esse confugiendum statuunt. Alii autem, et peritissimi medici, auxilium ex hoc medicamento, ante tertium vel quartum morbi diem, haud petunt; et tunc drachmam unguenti hydrargyri cinerei vel fortioris omni nocte corpori affricant, donec saliva leniter mota fuerit. Cum aliquid beneficii ex ipsa frictione proveniat, eam in partis affectae vicinia admovere praestat; quod si aeger hoc moleste ferat, inunctio in internis femoribus, et sub axillis, et ubicunque facilius in corpus absorbetur, adhibenda est.

Si haec medicina haud feliciter cedat, et morbus nihilominus ingravescens in suppuratio-

* Doctor Lind monet, hydrargyrum omnium consensu qui medicinam in India exercuerunt, optimum adversus *hepatitidem* praesidium jure haberi; etsi hujus medicamenti usus in hoc morbo primum empirice institutus videatur. On Hot Climates, p. 106.

nem ruat, nil superest agendum medico, nisi ut puris benigni formationem promoveat: hoc itaque consilio diaeta magis generosa, exigua vini meracioris copia, et cinchona in forma pulveris vel decocti, simul cum haustu anodyno ad somnum conciliandum, concedi possunt; et in his perstandum est donec suppuratio absoluta fuerit.

Si tumor plane extrorsum promineat, cataplasma amplum et emolliens parti admovendum est, quae ut primum probe emollita fuerit, *scalpello* aperienda est *. Si tumor in ventriculum vel ullum intestinorum tractum irrumpat, ea quae diluunt et demulcent propinanda sunt, quibus materia nociva expurgentur. Si pus in thoracem effusum fuerit, expectorantia locum habent.

---

* Clark, Dominicuensis, duas tertias aegrorum, quibus pus chirurgi manu eductum fuerat, convaluisse affirmat. Medical Commentaries, vol. xiv, p. 317.

MORBI CHRONICI MEDELA.

In inflammatione chronica *hepatis* sananda, diaeta cibi animalis levioris, concoctu facilis, et juscula nutrientia, cum vini pauxillo, bene conveniunt.

Epispastica quoque, in multis morbi chronici exemplis, *hepatis* regioni admota, haud leve commodum secum afferunt; item topicae sanguinis detractiones, nunquam vero generalis. Fonticuli vel setacea eidem parti indita a Doctore Dick * multum laudata fuere; horum enim ope se multos sanasse affirmat.

Laxantia per totum morbi decursum in usum sunt revocanda.

* Vide Saunders on the Liver, p. 256.

Morbi chronici curatio, hydrargyro externe adhibito et intus assumpto, donec gingivae leviter exulceratae fuerint, fere omnino permissa est.

Acidum nitricum, in hisce chronicis hepatis malis, usui plurimum commendatum est. Doctor Scott, medicus Bombaiensis, proprias ejus virtutes in seipso expertus, se hujus medicamenti viribus, novem dierum spatio, e morbo hepatico convaluisse, affirmat. Alii autem medici, experientia quoque edocti, hoc remedio cum exitu haud adeo felici usi sunt ; omnes autem consentiunt, id commodissime in auxilium vocari posse, quandocunque corporis habitus, scrophula vel scorbuta depravatus, ab hydrargyri usu absterreat.

Amara et tonica, cinchona, nempe, cascarilla, columbo, ferri praeparationes, et hujus generis alia, vires languentes restaurando, ad morbi curationem conferant. Complures certe medici

hydrargyrum interne adhibitum laudant ; Dr Girdlestone vero monet se observasse, in iis casibus in quibus hydrargyrus per os assumptus fuerat, gingivas in quibusdam locis duriusculas manere, in aliis in ulcera permolesta abiisse, cum immodico salivae sputo *. Contra, in iis aegris, quibus hydrargyrus inunctione sola admotus fuerat, talia ulcera nunquam subito, sine ullo praenuntio, esse oborta ; sed, ex tumore et colore gingivarum multo praecedentibus, tempus ad ea praecavenda semper concessum esse. Coeli mutatio ex calida in frigidam regionem, et itinera per mare facta, in multis exemplis, ubi solita remedia frustra adhibita fuere, aegros ad salutem feliciter perduxerunt.

---

* Essay on Hepatitis, p. 26.

FINIS.

CORRIGENDA.

Page 16, line 19, *pro* cibo *lege* ciborum
—— 20, —— 2, *pro* viciatus ; *lege* vitiatus ;
—— 24, —— 9, *pro* assertit, *lege* asserit,
—— 31, —— 8, *pro* adhibitum *lege* adhibendum
—— 31, —— 12, *pro* completi *lege* complecti